

qualitas suscipiat magis et minus non autem dubitatur de quali
Nam dubitatur utrum iusticia sit magis vel minus
non autem utrum iustus quia dicitur iustior vel magis iu
stus quod qualiter intelligitur ibidem dictum est Proprium ve
ro qualitatis est secundum eam simile vel dissimile dici quod in
predicamento quantitatis declaratum est

Capitulum primum de predicamento ad aliquid
quid sit secundum intentionem logicalem

Facto de predicamentis absolutis dicendum est
de respectibus et primo de relatione Notandum
quod quia relatio parum habet de entitate ideo de
ipsa non tractat philosophus sed solum de relationibus que propter com
municacionem magis a nobis possunt cognosci. vocat autem rela
tiva ad aliquid et diffinit ea sic Ad aliquid talia dicuntur
quecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur vel quo
modo libet aliter ad aliud Ad intellectum habet diffinici
onis Sciendum quod quedam sunt relativa secundum dici que
dam vero secundum esse quedam sunt relata realia quedam vero
secundum rationem Relata secundum dici ea dicuntur que de suo princi
pali significato dicuntur ratione alterius predicamenti Sec
undario autem dicuntur relativa seu dicuntur respectum Sic
sciencia de suo principali significato dicit habitum anime
et sic est in prima specie qualitatis Secundario autem di
cit respectum ad scibile et sensus ad sensibile que est quedam
potencia in secunda specie qualitatis et talia sunt rela
tiva secundum dici Relativa vero secundum esse sunt que de suo
principali significato significant respectum sic pater de suo
principali significato dicit respectum ad filium Relativa re
alia sunt que habent referri realiter circumscripto omni
actu intellectus ut pater et filius Circumscripto enim